

DISPUTATIO IV.

SCIENTIA EIUSQUE METHODUS

SECTIO I.

Notio scientiae praeformatur.

374. **Declaratio nominis.** — Nomen *scientiae* usurpari solet in significatione tum impropria, tum propria. Primo modo extenditur ad designandum iudicium quodcumque verum, tametsi incertum vel obscurum ac de re contingenti; siquidem id sufficit ne res dicatur absolute nesciri. Proprie vero non adhibetur hoc nomen, nisi agatur de cognitione *certa et evidenti veritatis necessariae et immutabilis*. Iam age, scientia sic accepta dupliciter adhuc haberi potest. Uno modo per simplicem mentis intuitum, quo interius in ipsa rei essentia veritas quasi legatur: et sic proprio nomine vocatur *intelligentia* [270]. Alio modo per mentis ratiocinationem, qua ex principiis certis et evidentibus veritas ostendatur seu demonstretur. Hic posterior modus cognoscendi deficit a perfectione prioris, ac propterea commune scientiae nomen retinet. Ut enim scite observat S. Thomas, * In his, in quibus aliquid est perfectissimum, nomen commune generis appropriatur his, quae deficiunt a perfectissimo: ipsi autem perfectissimo adaptatur aliquod speciale nomen, ut patet in logicis. Nam in genere convertibilem illud, quod significat *quod quid est*, speciali nomine *definitio* vocatur: quae autem ab hoc

deficiunt convertibilia existentia, nomen commune sibi retinent, scilicet quod propria dicuntur. (Summa th. 1. 2^a q. 9. a. 2.) Iam vero hoc postremo sensu tale nomen, scientiae nimirum, in hac disputatione accipitur, etsi non pauca explicare oportet etiam de intelligentia principiorum, unde humana scientia tanquam a fonte derivatur. Adverte autem huicemodum notitiam dupliciter esse in mente, *actu videlicet et habitu*. Actus invenitur in eo qui rem considerat: habitu vero in eo qui rem novit ac memoria retinet, actu tamen non considerat.

375. **Propria causa efficiens humanae scientiae.** — Homo secundum cursum naturae ordinarium duplici via scientiam acquirit, *inventione* nimirum ac *disciplina*, prout veritatem ex principiis deducit vel proprio Marte vel ductu alterius doctoris. Sed utrovis modo id perficitur, id tamen unde principaliter ac per se scientia causatur est interius lumen in mente nostra a Deo inditum: quod eleganti plane explicatione sic declarat Angelicus. * Effectuum, qui sunt ab exteriori principio, aliquis est ab exteriori principio tantum: sicut forma domus causatur in materia solum ab arte. Aliquis autem effectus est quandoque quidem ab exteriori principio, quandoque autem ab interiori: sicut sanitas causatur in infirmo, quandoque ab exteriori principio, scilicet ab arte medicinae; quandoque autem ab interiori principio, ut cum aliquis sanatur per virtutem naturae. Et in talibus effectibus sunt duo attendenda. Primo quidem quod ars imitatur naturam in sua operatione: sicut enim natura sanat infirmum alterando, digerendo, et expellendo materiam quae causat morbum, ita et ars. Secundo attendendum est, quod principium exterius, scilicet ars, non operatur sicut principale agens, sed scit coadiuvans agenti principali, quod est principium interius, confortando ipsum, et ministrando ei instrumenta et auxilia, quibus natura utatur ad effectum producendum: sicut medicus confortat naturam, et adhibet ei cibos et medicinas, quibus natura utatur ad finem intentum. Scientia autem acquiritur in homine et ab interiori principio, ut patet in eo qui per inventionem propriam scientiam acqui-

rit, et a principio exteriori, ut patet in eo qui addiscit. Inest enim unicuique homini quoddam principium scientiae, scilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur statim a principio naturaliter quaedam universalia principia omnium scientiarum. Cum autem aliquis huiusmodi universalia principia applicat ad aliqua particularia, quorum memoriam et experimentum per sensum accipit, per inventionem propriam acquirit scientiam eorum, quae nesciebat, ex notis ad ignota procedens. Unde et quilibet docens, ex his quae discipulus novit, ducit eum in cognitionem eorum quae ignorabat, secundum quod dicitur in 1. *Poster.*, quod *omnis doctrina et omnis disciplina ex praecognitis fit cognitione*. Ducit autem magister discipulum ex praecognitis in cognitionem ignotorum dupliciter. Primo quidem proponendo ei aliqua auxilia, vel instrumenta, quibus intellectus eius utatur ad scientiam acquirendam: puta, cum proponit ei aliquas propositiones minus universales, quas tamen ex praecognitis discipulus diiudicare potest; vel cum proponit ei aliqua sensibilia exempla, vel similia, vel opposita, vel aliqua huiusmodi, ex quibus intellectus addiscentis manducatur in cognitionem veritatis ignotae. Alio modo cum confortat intellectum addiscentis... in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones, qui forte per seipsum non haberet tantam virtutem collativam, ut ex principiis posset conclusiones deducere. Et ideo dicitur in 1. *Poster.*, quod *demonstratio est syllogismus faciens scire*. Et per hunc modum ille, qui demonstrat, auditorem scientem facit. (Summa th. 1. p. q. 117. a. 1.) Vide haec adhuc uberius explicata ab eodem S. Doctore (Qq. Disp. *Verit.* q. 11. a. 1.).

376. **Scientiae obiectum.** — Id in quo attingendo scientiae actus versatur, eius obiectum nominatur. Porro, ut in ceteris cognitionibus [9], item in scientia, hoc dupliciter consideratur, nimirum *materialiter* et *formaliter*. Materialiter se habet respectu scientiae, *prout scientia est*, ipsa res seu veritas scita, quae videlicet conclusionem continetur et ex principiis derivatur. Formaliter autem est ipsum medium demonstrationis, quo in eius notitiam devenitur:

inde enim veritas habet ut sit *scibilis*. Hinc S. Thomas. "Terram esse rotundam per aliud medium demonstrat naturalis, et per aliud astrologus. Astrologus enim hoc demonstrat per media mathematica, sicut per figuras eclipsium vel per aliquid huiusmodi; naturalis vero demonstrat per medium naturale, sicut per motum gravium ad medium, vel per aliud huiusmodi. Tota autem virtus demonstrationis, quae est *syllogismus faciens scire*, ut dicitur in 1. *Poster.*, dependet ex medio. Et ideo diversa media sunt sicut diversa principia activa secundum quae habitus scientiarum diversificantur." (Summa th. 1. 2^{ae} q. 54. a. 3. ad 2.)

377. **Propria causa efficiens scientiae humanae est partim a natura, partim ab obiecto exteriori.** — Ex dietis plura inferuntur, quae ad propriam scientiae rationem declarandam apprime faciunt. Ac primo quidem intelligitur, quo pacto veritatem habeat respectu humanae scientiae proloquium illud, quod non semel protulimus, nimirum, *Ex cognoscendo et cognito paritur rei notitia*. Propria nempe causa, unde innascitur scientia in nobis, ut diximus, est naturale lumen rationis, quatenus eo manifestatur veritas primorum principiorum, in quibus scientia naturalis velut in semine continetur. Id porro partim est nobis a natura inditum, partim ab exteriori obiecto provenit. A natura quidem congenitum nobis est ipsum intellectuale lumen quo in cognitionem veritatis pervenimus; ab exteriori autem obiecto proveniunt species primordialium conceptuum ex quorum comparatione notitia primarum veritatum efflorescit. Ad rem S. Thomas. "Intellectus principiorum dicitur esse habitus naturalis. Ex ipsa enim natura animae intellectualis convenit homini, quod statim cognito, quid est totum, et quid est pars, cognoscat quod *omne totum est maius sua parte*; et simile est in ceteris. Sed quid sit totum et quid sit pars, cognoscere non potest, nisi per species intelligibiles a phantasmatibus acceptas. Et propter hoc Philosophus in fine *Poster.* ostendit, quod *cognitio principiorum provenit nobis ex sensu*." (Summa th. 1. 2^{ae} q. 51. a. 1.)

378. **Qua ratione dicatur scientia specificari a suo obiecto formali.** — Intelligitur secundo, cur scientia, quamvis essentialem ordinem dicat tum ad lumen rationis, unde procedit, tum ad medium demonstrationis, quod formale scientiae obiectum constituit, ac propterea [100] utramque habitudinem in sua essentia ac definitione comprehendat; nihilominus a solo formali obiecto *specificari* dicatur. Id egregie declarat Sylvester Maurus. " Obiectum specificat cogniciones et alios actus intentionales, tanquam tribuens illis ultimam differentiam specificam; potentia vero non tam specificat, quam generizat, utpote tribuens sola praedicata generica. Ratio est, quia cum videmus albedinem ex. gr., potentia visiva assimilat sibi visionem in praedicatis *vitulis, visivi*, etc., quae sunt praedicata generica et communia pluribus visionibus albi, nigri, rubri, etc.; obiectum vero, nimirum albedo, tribuit visioni praedicatum differentiale, quod est determinatio visionis ocularis ad hoc ut sit expressio albedinis. Et confirmatur, quia sicut cum sol et semen lactucae producant lactucam sol concurreit ut causa universalis ac generizans, semen ut causa particularis ac specificans; sic eum potentia visiva et species albedinis, quae est veluti semen albedinis, producant visionem albedinis, seu albedinem in esse intentionali, potentia visiva concurreit ut causa universalis ac generizans visionem, species vero albedinis ut causa particularis et specificans. " (*Qq. Philos.* lib. 1. q. 3.) Qua de causa S. Thomas discrimen theologiae revelatae a naturali sic exponit. " Nihil prohibet de eisdem, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde theologia quae ad sacram doctrinam pertinet, differt *secundum genus* ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur. " (*Summa th.* 1. p. q. 1. a. 1. ad 2.)

379. **Discrimen scientiae ab experientia et ab arte.** Infertur tertio, scientiam idcirco differre ab experientia, quia haec respicit particularia facta et contingentia, qua

talia, illa vero posita est in contemplatione veritatis necessariae atque immutabilis ideoque considerat essentialia relationes rerum. Simili titulo scientia discriminetur ab arte, ut declarat Philosophus (6. *Ethic.* c. 4). Ars enim, qua talis, versatur circa factibilia, prout huiusmodi, ut in propria materia: haec vero possunt esse et non esse, ac iterum possunt aliter et aliter se habere. At scientia est de iis, quae semper et eodem modo se habent. Est et aliud discrimen quo scientia separatur ab arte. Haec enim ex proprio conceptu postulat quidem iudicium certo verum; virtutibus enim intellectualibus adnumeratur: non tamen exigit, ut nitatur potius demonstratione, quam auctoritate, ut patet in artibus mechanicis, quae prout communiter addiscuntur non sunt scientiae, etsi regulas habent demonstrabiles: e converso propria scientiae ratio exigit ut demonstratione procedat.

380. **Discrimen scientiae tum ab opinione tum a fide.** — Patet quarto, scientiam essentialiter differre ab opinione duplici titulo. Nam opinio indifferens est ad verum et ad falsum: at scientia non est nisi veritatis. Praeterea opinandi actus non determinatur ab ipsa veritatis evidentia; secus in actu scientiae contingit. Hoc posteriori titulo differt etiam scientia ab actu fidei etiam plenae et perfectae, prout suo loco [285] cum S. Thoma declaravimus. Quare idem S. Doctor: " Certitudo, ait, scientiae consistit in duobus, scilicet in evidentia et firmitate adhaesionis; certitudo autem fidei consistit in uno tantum, scilicet in firmitate adhaesionis. " (3. *Dist.* 23. q. 11. a. 2. solut. 3. ad 1.) Num vero contingat aliquando, ut qui *scit* aliquid, habitualiter saltem, idem simul actu *credat* vel *opinetur*, dubium controversumque est apud doctores magni nominis. Nobis affirmandum videtur, Motivum quippe proprium, sive opinionis, sive fidei, non est contrarium motivo proprio scientiae. Nihil ergo prohibet, quominus vim suam exerat etiam in intellectum illius, qui ex demonstratione rem noverit. Neque obstat defectus evidentiae, qui in utroque actu invenitur. Quamvis enim veritas sit evidens, prout substat demonstrationis medio, non est

tamen evidens, prout substat motivo probabili vel credibili. Neque etiam obstat formido, quae est de essentia actus opinativi, quaeque non videtur componi posse sive cum actu sive etiam cum scientiae habitu. Ut enim suo loco exposuimus [221], non semper opinio *actualem* formidinem habet annexam, ut experientia quotidiana docet. Quocirca ex oppositione, quam scientia etiam habitualis habet cum formidine, id unum concludi potest, nimirum non posse eum, qui demonstrative aliquid tenet, id ipsum ita indicare, ut timeat num fallatur nec ne. Et hoc sensu ait Philosophus. * Manifestum est, quod neque opinari idem simul et scire contingit; simul enim haberet existimationem, quod aliter se habere idem et non aliter posset. » (1. *Poster.* c. 24.) Loquitur nempe, non de quacumque opinione, quatenus accipitur pro quolibet actu infirmo et invidenti, qui praestatur veritatibus etiam necessariis ex fallibili motivo; sed de opinione actu formidolosa, in quantum est existimatio veritatis contingentis et obiecti quod potest aliter se habere, ut constat ex toto contextu eius capituli. Lege J. B. De Benedictis (*Philos. Peripat.* tom. 1. lib. 4. c. 4.).

381. **Quid intersit sapientiam inter ac scientiam.** — Intellegitur quinto discrimen scientiae, de qua loquimur, a *sapientia*. Ut enim luculenti discursu declarat Aristoteles (1. *Metaph.* c. 1.), dicitur sapiens in unoquoque genere, qui novit altissimam causam illius generis, unde perfectum iudicium de omnibus, quae ad illud genus pertinent, proferre possit; ac propterea sapiens simpliciter ille est, qui de rebus iudicat per causas absolute ultimas. Hinc sapientia differt a scientia dupliciter. Primo, quia quamdam perfectionem, et quasi *saporem*, scientiae designat, ratione cuius evadit intellectui maxime expetibilis. Cum enim perfecta cognitio, ut paulo inferius ostendemus, ea tantum sit, quae per causam habetur, si haec causa fuerit simpliciter ultima et a nulla alia dependens, cognitio inde derivata erit non modo perfecta, sed omnibus numeris absoluta. Differt praeterea, quia scientia, prout hic sumitur, est conclusionum tantum; sapientiae vero iudicium

versatur etiam circa principia, tum declarando proprias rationes terminorum quibus constant, tum etiam investigando mutua ipsorum connexionem ac dependentiam, nec non radicem ultimam veritatis eorumdem ac certitudinis. Confer Suarez (*Metaph.* D. 1. sect. 4. n. 17...23.). Quocirca discrimen, quo scientia a sapientia separatur, simile est illi, quo eam ab intelligentia differre diximus, quia videlicet nomen sapientiae, tanquam proprium, reservatur ad designandam scientiam et cognitionem supremam ac perfectissimam.

382. **De praecognitis et praenotionibus.** — Colligitur denique, scientiam necessario praesumere debere in intellectu illius, qui eam acquirit, notitiam aliquam praeviam, quae per scientiam minime fuerit acquisita. Omnis quippe motus procedit ab aliquo immobili. Unde Aristoteles (1. *Poster.* initio) tanquam principium praemittit, omnem scientiam a *praecogitis fieri cognitione*. Haec porro, quorum notitia scientiae acquisitioni praere debet, dicuntur *praecognita*; eaque tria sunt, videlicet *subiectum* ac *praedicatum* conclusionis, nec non *principia*, quorum veritati conclusio innititur. Dicuntur autem *praenotiones* ea, secundum quae haec tria praecognoscenda sunt: non enim eodem modo in ipsa conclusione, et ante conclusionem cognoscuntur. Iam age, duplex distinguitur *praenotio*, altera in quaestione *non est*, et altera in quaestione *quid est*. Quocirca de *subiecto* conclusionis praenosceri oportet, num sit saltem possibile, nisi de hac ipsa possibilitate mota fuerit quaestio. Quare quae de re impossibili ageretur quaestio, dicitur de subiecto *non supponente*, quod omni ulteriori investigationi viam obstruit. Praenosendum est etiam de eodem subiecto, *quid sit*, saltem quoad nominis interpretationem; ne omnis controversia aequivocatione laboret. Id ipsum de *praedicato* noscendum est, propter similem rationem: minime vero praenosceri oportet, *num sit*. Esse enim praedicati est subiecto inesse; hoc vero in ipsa conclusione scribi debet. Quoad *principia* denique, imprimis probe retinendum est eorumdem sensus legitimus, et hac ratione praenosendum

est *quid sint*, h. e. quid in ipsis enuntietur. Necessaria est etiam praevia notitia veritatis eorundem, qua videlicet certi simus *ea esse*, vera scilicet. Hae praenotiones requiruntur ad acquisitionem scientiae cuiuslibet: quas vero postulat scientia *perfecta*, in sequenti sectione commodius dicemus.

383. *Scholion.* — An et qua ratione veritas praemissarum ipso conclusionis actu intelligatur. — Quaestio passim a veteribus agitari solet, quam iam supra indicavimus cum Suarez [312], nimirum, utrum iudicium scientiae, quod in conclusione fertur, intrinsece feratur etiam in obiecta praemissarum ita, ut veritas istarum dupliciter terminet actum mentis discurrentis: primo quidem per modum praenotionis, ut dictum est, dein vero in ipso actu conclusionis. De hac re ita S. Thomas. * Unus et idem motus voluntatis est, quo fertur in finem, secundum quod est ratio volendi ea, quae sunt ad finem, et in ipsa, quae sunt ad finem. Sed alius actus est, quo fertur in ipsum finem absolute, et quandoque praecedit tempore: sicut cum aliquis primo vult sanitatem, et postea deliberans, quo modo possit sanari, vult conducere medicum, et sanetur. Sic etiam et circa intellectum accidit. Nam primo aliquis intelligit ipsa principia secundum se; postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus, secundum quod assentit conclusioni propter principia. (Summa th. 1. 2^{ae} q. 8. a. 3.) Caveas tamen ne inde inferas, conclusionem esse iudicium quoddam *copulativum causale* [128]. Nam etsi illatio, qua talis, fertur in veritatem conclusionis *prout dependentem a veritate praemissarum*, ac propterea etiam hanc *quasi in obliquo* attingit, tanquam terminum relationis, quae intercedit praemissas inter et conclusionem; non ideo tamen plura praedicata cum pluribus subiectis copulat, sed remanet iudicium simplex, licet illatum. Unde regula illa dialecticorum [165]. *Nequaquam capiat medium conclusio oportet.* Cf. Conimbricenses (1. Poster. c. 1. q. 4. a. 5.).

SECTIO II.

De multiplici demonstrationum genere.

384. *Demonstratio directa et indirecta.* — Demonstratio, unde scientia innascitur, duplici via procedere potest ad veritatem rei scitae comprobandam, *directe* videlicet et *indirecte*. Hinc duo sunt demonstrationum genera, quorum unum dicitur *ostensivum*, alterum *deducens ad impossibile* [173, 174]. Primum est per se ad scientiam requisitum, atque in eo consistit, ut manifestetur praedicatum convenire subiecto vel ab eo removendum esse. Hoc pacto ex. gr. ex *immutabilitate* entis necessarii ipsius aeternitatem demonstrabis. Alterum vero demonstrationis genus per se necessarium non est, sed interdum adhibetur propter hominis defectum, ignorantiam scilicet vel proterviam, ac deservit, non solum ut conclusiones sed etiam ut prima principia persuadeantur et probentur. Habetur autem cum ex contradictorio conclusionis probandae eruitur aliquid manifeste absurdum, et sic adversarius cogitur ad concedendum duas contradictorias esse simul veras, quod est plane impossibile. Sic probatur animam humanam fato corporis superstitem fore; nam secus nec virtus condignum praemium esset habitura, nec vitium, qua par esset puniretur. Ut patet, hic secundus demonstrandi modus potius absterret a negando, quam persuadeat docendo.

385. *Demonstrationis ostensivae species.* — Demonstratio directa seu ostensiva alia est *a priori*, alia vero *a posteriori*. Illa est, in qua veritas obiectiva conclusionis dependet a veritate obiectiva praemissarum; et hoc modo proceditur a causis ad effectus, et ab essentia rei ad passionem demonstrandas. Haec vero habetur e converso, quotiescumque nimirum veritas obiectiva praemissarum de-

pendet a veritate obiectiva conclusionis; ut si demonstres causam ex effectu, vel essentiam ex proprietate. Quod si utraque demonstratio simul coniungatur, sic videlicet, ut ex effectu confuse cognito arguamus causam istius effectus, et ex causa penitus cognita regrediamur ad effectum, quo eiusdem pleniorum cognitionem habemus, processus erit *circularis*, seu demonstratio *regressiva*, quaeque, ut mox videbimus, nedum legitima, sed saepe numero utilissima est ad scientificam cognitionem de natura, proprietatibus, ac pulchritudine effectus adipsendam.

Hic vero sedulo notandum est, quod si in demonstratione a priori affertur causa, non quaecumque, sed *propinqua et propria*, vocatur apud veteres demonstratio *propter quid*. Ea vero, quae fit per causam remotam, quemadmodum etiam quae a *posteriori* procedit, appellata est demonstratio *quia*. Ut enim de re proprie sciatur cur sit, non sufficit cognoscere causam remotam, nisi per alias demonstrationes deveniat usque ad causam proximam et immediatam. Sic qui probaret Deum esse intelligentem, eo quod est primum ens, demonstrationem quidem a priori conficeret, sed non *propter quid*. Ratio enim propria et proxima intelligentiae est immaterialitas.

386. **Duplex quaestio resolvenda.** — Quoad enumeratos demonstrandi modos duae occurrunt quaestiones, quarum solutio necessaria est, nedum utilis. Primo itaque quaeri potest, num recensitae omnes demonstrationis species legitimae revera sint nec ne. Ratio porro dubitandi haec est. In demonstratione enim quae a *posteriori* procedit, prima fronte videtur ipse naturalis ordo rerum perverti, conformitatis videlicet, quae intercedere debet inter cognitionem et rem cognitam, cum assumatur, tamquam principium rei demonstrandae, id quod eam minime antecedit, sed subsequitur ab eaque dependet. Accedit etiam, quod in demonstratione, quam *circularem* seu *regressivam* nominavimus, videtur assumi tamquam principium demonstrationis id ipsum quod demonstratione ostenditur, quod sine petitione principii fieri non

potest. Secundo quaeritur, quanam censi debeat demonstratio, non solum legitima, sed plane *perfecta*. Etsi enim, ob imperfectum cognoscendi modum humanae mentis, paucae admodum sunt huius generis demonstrationes, utile tamen est scire, quo nitendum sit in rerum investigatione. Qua de causa Aristoteles de demonstratione agens in libris *De Posteriori Resolutione*, totus est in eo, ut describat perfectam, potissimam, et idealem demonstrationem; per illam enim facile deinde cognoscuntur imperfectae et deficientes ab ideali. Apposite Sylvester Maurus. "Quia perfectum est regula sui et imperfecti, eo pacto quo rectum secundum Aristotelem est regula sui et obliqui; definiti debet cognitio omnino perfecta; quia illa cognita, seu sit humana et moraliter possibilis, seu non, facile deinde intelligitur cognitio non omnino perfecta. Ita mathematici definiunt circulum perfectum, lineam perfecte rectam, angulum perfecte rectum, seu possint perfecte dari, seu non, quia intellecto circulo perfecto, facile deinde intelligitur minus perfectus. Tullius etiam describit oratorem perfectum, qualem putat numquam fuisse, nec esse moraliter posse, quia eo intellecto facile intelligitur minus perfectus." (*Qq. Philos.* lib. 1. q. 1. ad 5.)

THESIS XX.

Demonstratio non solum a priori, verum etiam a posteriori, et, quae ex utraque componitur, regressiva, est plane legitima ac humanae scientiae amplificandae apprimè utilis. Perfecta tamen ea solum censi debet, quae sit a priori et propter quid.

387. **Probatio I. partis.** — Proprium enim est intellectui, ut intimam rerum essentiam perscipiat, ac ordinem, quo connectuntur invicem contempletur [267, 271].

Atqui de ratione cuiusque effectus est ut a sua causa dependeat, ut etiam proprietates respectu essentiae, unde dimanant. Ergo intellectis effectibus ac proprietatibus, intelligibilis etiam fit causa seu essentia, unde proficiuntur. Atqui munus legitimae demonstrationis est, ut ex notitia unius veritatis ducat in notitiam alterius, quae cum priori conserta est. Ergo legitimus est processus, quo ex cognito effectu vel proprietate assurgimus ad notitiam causae vel essentiae adipiscendam, quod praestat demonstratio a posteriori. Quin immo tale demonstrandi genus censi debet apprime utile ac necessarium humanae menti, ut in rerum plurimarum notitiam deveniat. Propriae enim rerum causae, supremae praesertim, ac propria ratio, saepissime sunt nobis ignotae, neque aliter ac per effectus vel proprietates innotescere queunt. Hinc S. Thomas. " Quandoque id, quod est magis notum quoad nos, est etiam magis notum simpliciter, et secundum naturam, sicut accidit in mathematicis.... Quandoque id, quod est notius quoad nos, non est notius simpliciter, sicut accidit in naturalibus, in quibus essentia, et virtutes eorum, propter hoc quod sunt in materia, sunt occultae, sed innotescunt nobis per ea, quae exterius de ipsis apparent. Unde in talibus fiunt demonstrationes per effectus, qui sunt notiores quoad nos, et non simpliciter. " (1. *Poster. lect. 4.*)

Ad illud vero, quod obieciatur [386], difformitatem videlicet sic haberi cognitionem inter eiusque obiectum, simili modo respondere oportet, ac in disputatione praecedenti non semel notavimus. Conformitas nempe, quae exigitur ad veritatem cognitionis, in hoc posita est dumtaxat, ut cognitio dicat esse, quod est, vel non esse quod non est. Hinc falsa profecto esset, si iudicaret, causam vel essentiam esse dependentem a suo effectu vel proprietate, et non vicissim: quod certe non facit qui a posteriori in demonstrando procedit. Sed nulla falsitas habetur in hoc, si in subiectiva evolutione cognitionis nostrae prius occurrat notitia effectus nobis notioris, ac inde assurgamus ad notitiam causae. Non

enim modus intelligentis in intelligendo est semper sicut modus essendi rei intellectae.

388. *Probatio II. partis.* — Vitium enim, si quod inesset demonstrationi, quae regressiva dicitur, in eo positum est, quod principium assumptum ad conclusionem probandam, non aliunde constet, vel probetur, nisi ex veritate eiusdem conclusionis. Quod profecto est plane illegitimum. Praemissae enim notiores sint oportet conclusionem, sicut definitio re definita: repugnat autem duo sint mutuo notiora. Atqui nihil huiusmodi contingit in regressu demonstrativo, quo de agimus. Quamvis enim in eo ex effectu ascendamus ad causam, et ex hac ad illum regrediamur, id tamen *sub eadem ratione* minime efficitur. Nihil enim prohibet, quominus ex effectu experimentaliter noto inferamus existentiam propriae causae; ac deinde attentius considerantes ac penetrantes naturam causae, ex hac regrediamur et per illam demonstremus effectum. Hac ratione primo quidem ex effectibus, quos experimur, devenimus in cognitionem primae causae, quae Deus est; ac dein ex penitiori cognitione et analysi attributorum, quae Deo conveniunt ex eo quod sit primum rerum omnium principium, legitimo plane processu multo plura idque a priori definire possumus, tum circa naturam creaturarum, tum circa ipsarum ordinationem ad proprium cuiusque, et ad universalem finem totius universi. Id etiam videre est in Philosophia morali. Nam ex infinito conscientiae testimonio manifestum fit cuique se minime esse solum a lege, sed plane subesse cuidam supremae potestati, quae tum in singulos homines tum in universam humanam familiam seu societatem animadvertit, quaeque obiective non est alia ab auctoritate increata supremi Numinis. Dein vero profundius inspecta natura, sapientia, ac bonitate istius supremi Legislatoris, tum redditur ratio propria ipsiusmet testimonii conscientiae, quae de eius existentia nos monuit, tum officia plurima dignosci valent ad quae praestanda ab eo adstringimur, quaeque sine ista profundiori analysi minime dignoscerentur.

389. *Probatio III. partis.* — Demonstratio a priori et propter quid ea est, quae revera ostendit non solum praedicatum subiecto conclusionis reipsa inesse, verum etiam cur insit, assignando scilicet propriam causam huius connexionis eamque proximam et immediatam [385]. Iam age, talis sit oportet perfecta atque absoluta demonstratio. Generalis ratio huius pronuntiationis sumitur ex Aristotele (1. *Poster.* c. 1. 2. coll. 1. *Metaph.* c. 2.), et haec est. Cum demonstratio sit causa scientiae in nobis, ea censi debet perfecta demonstratio, quae perfectam scientiam in nobis pariat. Perfecta autem scientia non habetur nisi in perfecta rei cognitione. Haec porro non modo attingit praedicatum subiecto inesse, sed etiam causam seu radicem huius inhaesionis. Probatur hoc dupliciter; cetera enim, quae in hac argumentatione assumuntur, perspicua sunt.

I. Experimur omnes, intellectum nostrum innata curiositate ferri in cognitionem causarum, et donec ad has perveniamus, numquam ab inquirendo desistimus. Atqui cognitio non est perfecta, nisi plene expleat naturalem mentis propensionem. Ad rem Sylvester Maurus. * Cognitio relinquens intellectum inquietum et curiosum est imperfecta, cognitio vero quietativa et ablativa curiositatis est perfecta. Inquietudo enim oritur ex eo, quod intellectus habens cognitionem imperfectam, non satiatur, sed aspirat ad perfectam; curiositas etiam, qua intellectus quaerit *cur*, quaerit cognitionem causae tanquam satisfactivam, adeoque perfectivam cognitionis. (*Qq. Philos.* lib. 1. q. 1.)

II. Cognitionis ratio posita est in vitali quadam repraesentatione in subiecto cognoscente expressa [8]. Perfecta autem repraesentatio postulat, ut res se habeat in esse, sicut in mente ponitur, ac propterea id, quod est causa vel ratio *cur* sit a parte rei, evadat etiam causa seu ratio *cur* sistatur in intellectu. Ergo perfecta rei cognitio exigit, ut non modo praedicatum subiecto inesse cognoscat, sed praeterea attingatur etiam ipsa causa seu radix talis connexionis.

Dices. Deus est obiectum scientiae eaeque perfectae. Atqui Deus est cuiuslibet causae expertus.

Respondeo, nomine causae in praesenti intelligi, ut patet ex ipso discursu quo usi sumus, tum eam, quae proprie sit causa, si agatur de re, quae causam habet, ut sunt creaturae omnes, tum *rationem ontologicam* *ei cuius res est*, quo modo Deus dicitur esse *per propriam essentiam*, quatenus non in alia re, sed vi suae naturae habet *cur* sit. Quocirca concedimus, non esse perfectam cognitionem seu scientiam eam, qua in praesenti vita cognoscimus *num Deus sit*. Perfecta enim non est, nisi quae habetur per eius essentiam, qua immediate et intuitive videatur sicuti est. Cognita tamen existentia supremi Numinis, nihil prohibet dari perfectam scientiam, humano captui proportionatam, de divinis attributis, qualis habetur in theologia naturali. Haec enim demonstrantur per propriam rationem eorumdem, quemadmodum ex sinceritate seu actualitate summa divini esse ostenditur eius omnimoda simplicitas, ex hac immutabilitas, ex immutabilitate aeternitas et sic porro. Simile quid contingit etiam in multis demonstrationibus circa res creatas. Non enim omnis proprietates, quae ex essentia demonstrative conficitur, est reipsa ab essentia distincta, tametsi in ea semper habeat propriam radicem seu rationem *cur* sit, ut videre licet in mathesi.

390. *Coroll. I.* — **Sola demonstratio a priori procedit ex iis, quae sunt priora ac notiora simpliciter.** — Ex dictis facile intelligitur, omnem quidem demonstrationem procedere ex iis, quae priora sunt ac notiora *quoad nos*, h. e. in nostra cognitione, solius tamen demonstrationis *a priori* proprium esse, ut ducatur ex iis, quae sunt *priora ac notiora simpliciter*. Effectus enim suapte natura dependet a causa, et non vicissim: id autem, unde aliquid dependet, in eo, in quo dependet, est eo simpliciter prius. Cum itaque in demonstratione a priori notitia effectus ex notitia causae suppedietur, praemissas continet, quarum obiectiva veritas prior est veritate conclusionis, non solum in mente discurrentis, sed

etiam absolute ac simpliciter. Est etiam simpliciter notior. Vel enim effectus probatur ex sua causa extrinseca, efficiendi videlicet ac finali; vel ex causa intrinseca, cuiusmodi est materia et forma, ex quibus tamquam ex partibus coalescit. Atqui causa efficiens et finalis suum effectum in perfectione antecellunt; unumquodque autem, quo est perfectius, eo est intelligibilis, simpliciter et absolute loquendo. Causa vero materialis et formalis, quae intrinsecus constituunt compositum, sunt eo simpliciora; quae autem sunt huiusmodi, sunt etiam absolute notiora, ac propterea ad compositum definiendum adhibentur. Confer quae supra diximus [101].

391. *Coroll. II.* — Quo pacto demonstratio a priori secundum diversa causarum genera conficiatur. Intelligitur etiam ex dictis totidem demonstrationes a priori haberi, quot sunt causae, unde res dependet. Exempla habes apud Philosophum (2. *Poster.* c. 10, al. 11.). Hic vero diligenter observa, quod scite observat Auctor opusculi, cui titulus *Summa totius Logicae Aristotelis* (48. al. 44. inter Opuscula S. Thomae). * Sciendum quod, quia causae habent ordinem ad invicem, ex una sumitur ratio alterius. Ex forma enim sumitur ratio materiae; quia talem oportet esse materiam qualem forma requirit. Efficiens autem est ratio formae; quia enim omne agens agit sibi simile, oportet quod secundum modum agentis sit modus formae, quae ex actione sequitur. Ex fine vero sumitur ratio efficientis; quia omne agens agit propter finem. Oportet ergo, quod definitio, quae sumitur a fine, sit ratio et causa probativa aliarum definitionum, quae sumuntur ex aliis causis; et quae sumitur ab agente, aliarum duarum; et quae sumitur a forma, eius quae sumitur a materia. Ideo definitio, quae sumitur a materia potest demonstrari per causam formalem et sic de aliis. Et propter hoc dicit Philosophus 1. *Poster.*, quod definitio vel est conclusio demonstrationis, scilicet quando est per talem causam, quae concludi possit ex definitione quae fiat per aliam causam: vel est principium demonstrationis, scilicet quando e converso est ex causa, quae sit

ratio et causa probativa alterius: vel est demonstratio sola positione, seu ordinatione differens, scilicet quando tales duas causas comprehendit., (Tract. 9, c. 8.) Confer S. Thomam (2. *Poster.* lect. 8.).

392. *Coroll. III.* — Quomodo in demonstratione perfecta propter quid praedicatum se habeat ad subiectum conclusionis. — Colligitur denique ex dictis, ope perfectae demonstrationis *propter quid* non quodcumque praedicatum de subiecto conclusionis demonstrari, sed quod ei inest *per se primo* seu convertibiliter [66]. Nam vel de subiecto scire volumus num sit, vel naturam, vel accidentia. Porro si sermo sit de ipso esse seu existentia subiecti, nequit a priori demonstrari. Demonstratio enim est de veritate necessaria: esse autem necessario convenit soli enti a se, sive Deo; id porro, ut supra innuimus et opportuniori loco latius ostendemus, nequit a priori demonstrari, sed a posteriori dumtaxat. Sin vero sermo sit de natura subiecti, ea quidem aliqua ratione demonstrari potest a priori, eo modo videlicet quo in numero praecedenti exposuimus. Constat autem nihil magis per se primo inesse alicui quam ipsam naturam, qua constituitur in genere et specie. Quod attinet denique ad accidentia, ea, si contingenter subiecto insunt, nequeunt esse obiectum scientiae, ac proinde nec demonstrationis, unde scientia progignitur. Relinquitur igitur, ea dumtaxat accidentia de subiecto demonstrari posse, quae ei necessario, seu per se insunt. Talia porro accidentia, si perfecta demonstratio *propter quid* conficiatur, demonstrantur oportet non de quolibet subiecto, sed de eo cui *primo* insunt *convertibiliter*. Apposite Sylvester Maurus exemplo rem declarat. * Quia passio, ait, habentis tres angulos aequales duobus rectis primo et convertibiliter inest, non triangulo aequilatero, sed triangulo ut sic, debet primo demonstrari non de triangulo aequilatero, sed de triangulo ut sic. Qui vero talem passionem demonstrat de triangulo aequilatero peccaret contra regulas perfectae demonstrationis, nec attingeret primam et universalem rationem, propter quam triangulo inest passio habentis tres angulos aequales duo-

bus rectis, ex quo etiam posset errare, putando quod non omne triangulum habeat tres angulos aequales duobus rectis. (*Qq. Philos. lib. 1. q. 67.*)

393. *Coroll. IV.* — **Primum medium demonstrationis potissimae.** — Inferitur denique, illud quod in demonstratione perfecta seu potissima se habet tanquam prima radix seu medium, esse ipsam subiecti definitionem. Egrege rursus Sylvester Maurus. * Perfecta enim demonstratio, ait, debet ostendere, passionem necessario inesse subiecto per primam causam, propter quam necessario inest: sed prima causa, propter quam unicuique subiecto necessario et convertibiliter insunt suae passiones et proprietates, est ipsa essentia subiecti per definitionem explicata: ergo primum medium in demonstratione potissima debet esse definitio subiecti. Definitio vero passionis potest quidem esse medium, sed non primum. Ratio est, quia accidens est entis ens, adeoque essentia accidentis ordinatur ad essentiam subiecti, et specificatur a subiecto, ut dictum est questione tertia: ergo prima ratio, cur accidens habeat talem essentiam et definitionem est essentia et natura subiecti: sed primum medium demonstrationis perfectae debet esse prima ratio: ergo primum medium debet esse essentia ac definitio non passionis, sed subiecti. Demonstrata per definitionem subiecti prima passio, per primam passionem, tanquam per medium, demonstratur secunda, per secundam tertiam, et sic usque ad ultimam passionem, nec in talibus passionibus proceditur in infinitum, ut Aristoteles docet, quia non insunt rebus infinitae, sed finitae passiones ita ordinatae, ut prima oriatur immediate ab essentia subiecti, secunda passio oriatur a prima passione, et sic usque ad ultimam. (*loc. cit.*) Confer S. Thomam (1. *Poster. lect. 12. 35.*).

SECTIO III.

De principijs demonstrationis.

394. **Quid principium in ordine logico, et quo pacto influat in conclusionem veritatis demonstratae.** — Principium generatim definitur a Philosopho (4. *Metaph. al. 5. c. 1.*): *Primum, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* Hinc alia dicuntur principia *essendi*, alia *fiendi*, alia *cognoscendi*. De primo et altero genere principiorum sermo erit in *Metaphysica*: hoc loco de tertio dumtaxat inquirimus. Est itaque principium cognoscendi *id unde primum res cognita est*, et complectitur primordiales obiecti notiones, unde ceterae cognitiones tanquam ex fonte proficiscuntur, cuiusmodi sunt intelligentiae veritates [270]. Quemadmodum vero conceptus in universum potest considerari *formaliter* et *obiective* [10], similiter et principia cognitionis. Ceterum hoc nomine solent potius designari, si obiective considerentur, quam si formaliter. Sic in duplici sequenti effato, *Nequid idem simul esse et non esse*, vel *Bonum est faciendum malumque vitandum*; non tam ipsa iudicia, quibus de huiusmodi veritatibus iudicamus, quam veritas ipsa obiectiva, quae in his iudiciis continetur, principium cognoscendi nominari consuevit. Iam age, inter principia humanae cognitionis praecipue recensentur primaevae veritates, ex quarum cognitione demonstratio quaeque proficiscitur, ac propterea demonstrationis principia nominantur: inde enim, tanquam ex propria efficiendi causa, humana scientia progignitur et specificatur [376, 377]. Principia id genus dupliciter influere solent in conclusionem veritatis demonstratae, cognitione scilicet *habituali* vel *actuali*. Actu influunt, quae ad demonstrandum discrete assumuntur; quae videlicet actu considerantur, et ut talia intellectum movent ad conclusionem infe-

rendam. Sic se habent praemissae, unde ipsa demonstratio conficitur. Influnt vero *habitualmente*, quae etsi actu expresso a mente non considerantur, haec tamen est sic disposita respectu illorum, ut vix ei occurrunt statim eorundem veritati acquiescat, qualia sunt duo effata paulo superius enuntiata.

395. **Divisio principiorum.** — Porro principium in ordine logico, duplex est: *complexum* scilicet et *incomplexum*. Principium complexum est *veritas enuntiata*, quae fundamenti loco ad demonstrandum assumitur. Principia vero incomplexa sunt partes, quibus priora constant, notiones scilicet *subiecti*, *praedicati*, eorundemque *definitiones*.

Principium *complexum* dividitur in *immediatum* et *mediatum*. Immediatum dicitur, si eo non est aliud prius, saltem in eodem demonstrationis genere: secus dicitur *mediatum*. Patet, hoc postremum non nisi relative dici principium, quemadmodum aurora ex. gr. consideratur ut principium quoddam in duratione, videlicet respectu diei.

Principium *immediatum* ulterius dividitur in *empiricum* et *rationale*, prout observatione, aut experimento competitur, vel sola intuitione idearum. Exemplum prioris est si dicas, *Ego cogito*; alterius vero si dicis, *Quidquid fit, sui causam habet*. Porro principia empirica solent a recentioribus vocari *synthetica*; cetera vero *analytica*. Ratio est, quia quae experimentaliter cognoscimus, quatenus sic cognoscuntur, exhibent semper esse aliquid actuale seu exercitum in natura rerum; esse autem huiusmodi est praeter quidditatem rei cuiuslibet creatae, ac propterea necessario concipi debet ut aliquid ei adveniens, et cum ea compositionem aliquam efficiens. Contra, quae sola intuitione idearum innotescent, respiciunt ipsam rei essentiam vel proprietates essentielles: quocirca in talibus semper praedicatum per se pertinet ad subiectum, et sic notio illius ex notione istius evolvitur.

Principia immediata analytica dicebantur a veteribus propositiones *per se notae*. Id porro dupliciter adhuc dicitur, *absolute* scilicet, seu inspecta propositione secundum seipsam, vel *relative*, seu in ordine ad nostram cogni-

tionem. Absolute per se nota vocatur propositio, quando subiectum in sui ratione habet, cur immediate, h. e. sine medio demonstrationis, praedicatum de eo enuntiari possit. Et huiusmodi sunt propositiones omnes, quarum praedicatum est de essentia subiecti, quia cognita complete subiecti quidditate hoc ipso potest cognosci praedicatum. Dicitur vero per se nota respective, sive quoad nos, cum talis est etiam attentata intelligentia, qua nos subiecti notionem usurpamus, cum videlicet intellectis terminis, subiecto scilicet et praedicato, nexus utriusque statim nobis innotescit. Audiatur S. Thomas. "Ex hoc aliqua propositio est per se nota, quod praedicatum includitur in ratione subiecti, ut: *homo est animal*; nam animal est de ratione hominis. Si igitur notum sit omnibus de praedicato et subiecto, *quid sit*, propositio illa erit omnibus per se nota; sicut patet in primis demonstrationum principiis, quorum termini sunt quaedam communia, quae nullus ignorat, ut *ens* et *non ens*, *totum* et *pars*, et similia. Si autem apud aliquos notum non sit de praedicato et subiecto, *quid sit*; propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos, qui praedicatum aut subiectum propositionis ignorant. *Et ideo contingit*, ut dicit Boëthius in lib. De Hebdomadibus, *quod quaedam sunt communes animi conceptiones et per se notae apud sapientes tantum, ut incorporalia in loco non esse.*" (*Summa th.* 1. p. q. 2. a. 1.) Confer Conimbricenses (1. *Poster.* c. 3. a. 2.).

396. **Principia propria et communia scientiarum.** — Principia per se nota, quae in diversis scientiarum disciplinis adhibentur, alia desumuntur ex proprio obiecto earundem, alia vero ex communissimis conceptionibus, quae primo in humana mente cuiusque rationis usum habentis enascuntur. Quare illa appellantur *propria*, haec vero *communis*. Quae ad hoc postremum genus pertinent, vocantur *ἀπομακρῶς dignitates*, quia, ut mox dicitur, sunt veritates fundamentales scientiarum omnium (1). Hic dili-

(1) Hanc distinctionem plane egregie sic evolvit Josephus Kleutgen.

genter adverte, ut scite Toletus observat, videlicet "scientias non ut his principijs communibus, ut communia sunt, sed unaquaque scientia et demonstratio ea limitat ad suam materiam, ad quam eis indiget. Sic Geometra dicit: si ab aequalibus magnitudinibus aequales demas...; Arithmeticus ad numeros contrahit, et singulas demonstrationes suis terminis adaptant. Nec propter hoc minor est vis illorum principiorum, cum semper sint vera, et necessaria.

* Supremi principij di una qualsiasi scienza sono quelle proposizioni, per le quali viene determinato il suo oggetto, e questo viene spiegato quanto ai suoi attributi essenziali. Così l'Arithmetica spiega, che cosa è numero, la Geometria, che cosa è superficie, la Fisica, che cosa è corpo, l'Estetica, che cosa è bello, l'Etica, che cosa è bene morale; ed in queste spiegazioni propongono quelle scienze i loro rispettivi supremi principij. Ma, a progredire dai medesimi, mediante la dimostrazione, alla cognizione di altre verità, ogni scienza ha d'uopo di certe fondamentali proposizioni, le quali non sono sue proprie, ma comuni con altre. L'Arithmetica, ad esempio, a dimostrare dal concetto e dagli attributi del numero, le sue proposizioni, deve servirsi del principio dell'uguaglianza; il quale trova parimente in altre scienze la sua applicazione. Ma, inoltre, quegli oggetti delle particolari scienze non vengono perfettamente conosciuti, se non dalla relazione, che essi hanno tra loro, e con ogni altro essere. Ma questa relazione si considera nella Metafisica, dalla quale si cerca più profondamente, che cosa sia il vero, il bene, la quantità, il corpo, ecc. La Metafisica dunque conduce ad una più alta conoscenza dei principij di tutte le altre scienze: e quindi potendosi riguardare come fondamento delle medesime, viene anzi tutto detta: *prima filosofia, e scienza delle scienze*. Quelle proposizioni adunque, che la stessa Metafisica riconosce come suoi principij, e per le quali essa fonda quelli delle altre scienze, debbono essere i supremi tra tutti. Avendo dunque la Metafisica per proprio oggetto l'essere, in quelle proposizioni, che vengono proposte intorno all'essere, ed ai suoi attributi trascendentali, (unità, verità, bontà), debbono contenersi i supremi principij di tutto lo scibile. Per essi la Metafisica dichiara e fonda i principij delle altre scienze, ed in essi sono ancora contenute quelle proposizioni fondamentali, per cui si la Metafisica stessa, e sì qualsiasi altra scienza, viene guidata nella conoscenza di alcune verità da altre. Nella Metafisica appariscono quelli, come leggi dell'essere; nella Logica, come leggi del pensare: sendo che in tanto il pensare è vero, in quanto risponde all'essere. (Filosofia antica, Tratt. 4. n. 291).

et immediata, et propterea dicuntur communia secundum analogiam; quia ex eis unaquaque scientia accipit pro sua materia. (1. Poster. c. 8. n. 3.) Ex quo intelligis, demonstrationes, quae ex huiusmodi principijs communibus ad determinatam materiam cuiusque scientiae applicatis ducuntur, minime reprehendi debere quasi non procedant ex propriis sed ex extraneis: non enim in re praesenti proprium opponitur extraneo, sed communi.

THESIS XXI.

Judicia omnia immediate evidētia adaequate dividuntur in analytica, seu a priori, et synthetica, seu a posteriori. Illa suapte natura necessaria sunt atque universalia; haec vero non itē, sed necessitate et universalitatem univēsi ex aliquo principio analytico in se derivant.

397. *Probatio I. partis.* — Ratio primae partis facile ducitur ex iis, quae praemisimus. In iudicando enim enuntiamus de subiecto vel praedicatum, quod subiecti essentiam constituit, vel proprium, vel accidens [67]. In prima et secunda hypothesi ad hoc enuntiandum ipsa notio subiecti suppeditat rationem cur praedicatum ei insit, quod est proprium iudiciorum analyticorum. In tertia vero hypothesi, praedicatum aliunde adscisci debet quam ex ipsa subiecti ratione; quod fit in iudiciis syntheticis.

Porro iudicia analytica recte dicuntur *a priori*. Ipsorum quippe obiectiva veritas subiecti existentiam praevertit, et ab experientia minime dependet. Quamvis enim mens humana ope sensuum atque adeo experientia indigeat, qua subiecti et praedicati notioem nascatur, ratio tamen obiectiva quamobrem praedicatum cum subiecto copulatur in talibus iudiciis, minime exposcit ut subiectum in natura rerum actu existat vel experimento comperiat.

Sic indigemus utique sensili experientia, ut ideam *totius* et *partis* eformemus: sed quod *totum maius sit sua parte* verum est, etsi nullum totum, nulla pars existit. Contra, in iis quae subiecto contingenter adveniunt, opus est facto aliquo reipsa existenti, quo talia praedicata subiecto adiungantur; at facta huiusmodi obiecta sunt experientiae. Quare ex opposita ratione iudicia id genus recte a *posteriori* nominantur.

Dices. Aristoteles non uno in loco docet, in his principis non modo subiecti et praedicati notiones ope sensuum haberi, sed praeterea experientiam esse plane necessariam ex parte iudicii, quo de veritate eorumdem sententiam feramus. Sic enim loquitur (*Prooem. Metaph.; Prior.* lib. 1. c. 31., lib. 2. c. 23.; *Poster.* lib. 1. c. 14., lib. 2. c. ult.). Ergo ex mente Philosophi videtur requiri experientia etiam in iudiciis primis analyticis, non solum ad intelligendas exacte rationes terminorum, sed etiam ut propria ratio cur illorum veritati assentimur.

Respondeo, *negando consequens*. Mens porro Philosophi II. cc. optime sic declaratur a Suarez. "Si generatim agatur de quacumque sensibili cognitione necessaria ad terminorum apprehensionem et intelligentiam, clarum est hanc esse necessariam ad cognitionem principiorum, quia omnis nostra cognitio a sensu incipit. Haec autem non est proprie experientia, quae, ut ex dictis constat, in iudicio seu habitu iudicativo consistit: et de hac sine dubio locutus est Aristoteles. De hoc ergo loquendo, distinctione utendum est; principia enim non omnia aequalia sunt. Est namque imprimis unum vel alterum generalissimum et notissimum, scilicet: *Quodlibet est vel non est; Impossibile est idem simul esse et non esse*; et ad haec cognoscenda nulla requiritur experientia, sed sola terminorum apprehensio, intelligentia seu explicatio... Praeter haec vero principia notissima..., sunt etiam alia valde universalia, et communia fere omnibus scientiis, ut: *Quaecumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; et, *Omne totum est maius sua parte*; et, *Si ab aequalibus aequalia demas, quae remanent sunt aequalia*. Et de his distinguere oportet,

quando talium principiorum notitia inventionem acquiritur, vel disciplina. Nam in hoc posteriori modo existimo non esse necessariam experientiam proprie sumptam; sed supposita illa quae ad distinctam terminorum notitiam satis est, et explicatis sufficienter per doctrinam rationibus terminorum, absque alia experientia posse intellectum assentiri suo lumine cum sufficiente evidentia et certitudine. Et ratio est, quia haec quae requiruntur ad huiusmodi assensum evidentem, sive sit experientia, sive quaecumque alia terminorum declaratio, non requiritur ut formalis ratio assentiendi, neque etiam ut principium per se efficiens seu eliciens actum assentiendi, sed ut sufficiens applicatio obiecti... At vero qui sola inventionem scientias acquirunt, indigent experientia ad horum principiorum cognitionem, quia sine illa et sine exteriori adiutorio praeceptoris et doctrinae, non possunt haec principia satis proponi, aut rationes terminorum satis cognosci, ut illis evidens praebatur assensus. Atque hoc confirmant testimonia Aristotelis, et usus ipse satis id ipsum docet. Ratio autem est, quia nostra intellectiva cognitio valde limitata est et imperfecta, nimiumque a sensu pendet; et ideo sine sufficienti adminiculo eius non potest cum sufficiente certitudine et firmitate procedere, et inde accidit saepe ut qui multum de intellectu confidunt, sensum deserentes, facie in rebus naturalibus errent, ut adnotavit Aristoteles 8. *Physicorum*, c. 3... Alia denique sunt principia particularia, et propria singularum scientiarum, et de his verisimile est, necessariam esse experientiam et collectionem multorum singularium ad firmum et evidentem assensum eorum, non tantum via inventionis, quod est notissimum, sed etiam via disciplinae; quia rationes terminorum in his principis non sunt ita notae ac faciles, ut sufficiat quaelibet propositio eorum, nisi is qui addiscit, eas conferat cum singularibus quae novit, et videat cum illis et cum omnibus, quae de talibus rebus expertus est, recte consentire; nunquam item talia principia instantiam, ut dicunt, passa esse. (*Metaph.* D. 1. sect. 1. n. 27..30.)

398. *Probatio II. partis.* — Sequitur ex praee-

dentibus. In iudiciis enim analyticis praedicatum per se pertinet ad subiecti rationem seu quidditatem. Atqui quae sunt huiusmodi, suapte natura necessitatem ac universalitatem praeserunt. Sic, cum dicitur, *Totum est minus sua parte*, praedicatum de subiecto enuntiatur, quod in eiusdem quidditativa ratione involutum invenitur. Cum itaque nihil usquam existere possit, quin sua propria essentia fruatur iisque quae essentiam necessario consequuntur, impossibile est dari totum aliquod praedicto attributo minime praeditum, cuius videlicet pars illud aequet vel excedat. Secus dicendum de iudiciis syntheticis ob oppositam rationem. In illis enim enuntiatur factum contingens experientia compertum. Atqui quae talia sunt, de se nec necessitatem, nec universalitatem habent. Ergo iudicia id genus suapte natura neque necessaria sunt neque universalia. Si itaque necessitatem aliquam vel universalitatem nanciscuntur, eam ex aliquo principio analytico in se derivent necesse est. Hoc modo iudicium quo ex. gr. dico, *Petrum nunc sedere*, necessitatem hypotheticam mutuatur ex principio contradictionis, quatenus id quod est, dum est, non potest non esse. Simili ratione iudicia particularia ope experientiae cognita, universalia evadunt, vi principii causalitatis, ut ante declaravimus [182].

Obicies, Hoc iudicium, *Causa prima efficiens est ens necessarium*, est analyticum et per se notum; nec propterea universalitatem habet ideo, quod causa prima efficiens unica sit oportet.

Respondeo, id accidere propterea quia notio causae primae efficientis per se includat esse cum hac numero individuatione; cum vero individuatō determinata multiplicari minime queat, hinc eandem repugnantiam dicit notio causae primae efficientis, ut suo loco demonstrabitur. Hinc iudicium praedictum, tametsi proprie minime sit universale, ei aequivalet pro eo quod subiectum accipitur secundum totam extensionem cuius est capax [161]. Atque hoc adeo verum est, ut si fingatur hypothesis impossibilis in qua darentur plures causae primae efficientes, de singulis affirmandum foret esse entia necessaria.

THESIS XXII.

Principia communia per se nota iure merito dicuntur axiomata, ut quae constituunt ultimum cuiusque naturalis scientiae ac certitudinis fundamentum. Attamen, ut ex iis fiat transitus ad ordinem actualem, necesse est, accedat testimonium sensuum aut conscientiae.

399. **Probatio I. partis.** — Scientia naturalis demonstratione comparatur. Omnis autem demonstratio procedit ex principiis necessariis ac manifestis. Principia autem huiusmodi vel sunt principia communia per se nota, vel in eis ultimo nituntur. Sicut enim se habent conceptus ad invicem, ita iudicia quae ex eorumdem comparatione efflorescunt. Atqui ex conceptibus primis et communissimis dependent ceteri omnes, secundarii scilicet ac proprii. Ergo ex iudiciis, quae in illis nituntur, dependent iudicia, quae nituntur in posterioribus. Iudicia porro communia per se nota vocamus, quae ex immediata comparatione primordialium conceptuum efflorescunt. Ergo iure merito tanquam radix et fundamentum cuiusque scientiae naturalis habentur.

Sunt etiam ultimum fundamentum cuiusque naturalis certitudinis. Et re quidem vera, ad certitudinem proprii nominis requiritur *indubitabilitas et infallibilitas* [223, 224]. Eius ergo ultimum fundamentum pro humana mente debent esse aliquae veritates, quae ex una parte sint *simpliciter primae* in ordine cognitionum nostrarum, et ex alia sint ex se plane *infallibiles et indubitabiles*. Porro utrumque habetur in principiis, quae consideramus. Imprimis enim sunt simpliciter et absolute prima in cognitione humana, ut nuper ostendimus. Deinde sunt ex se plane infallibilia et indubitabilia. Ut enim praecare ait S. Thomas,

et suo loco declaravimus [280, 300]: " Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contrarium eorum. " (1. *Poster.* lect. 19.) Cum itaque necessario ea sint per se vera, eisdem per se repugnat falsitas, ac propterea sunt plane infallibilia. Cum praeterea necesse sit videri, ea esse per se vera, eo ipso repugnat, ut quis de opposito formidet, ideoque sunt etiam prorsus omnino indubitabilia.

Pulchre hanc veritatem ita confirmat atque illustrat Angelicus. " Sicut dicit Dionysius (7. c. *De Div. Nominibus*), divina sapientia coniungit fines primorum principii secundorum. Naturae enim ordinate ad invicem sic se habent, sicut corpora contigata, quorum inferius in sui supremo tangit superius in sui infimo; unde et inferior natura attingit in sui supremo ad aliquid, quod est proprium superioris naturae, imperfecte illud participans. Natura autem animae humanae est infra angelicam, si consideremus naturalem modum cognoscendi utriusque. Naturalis enim modus cognoscendi et proprius naturae angelicae est, ut veritatem cognoscat sine inquisitione et discursu; humanae vero proprium est, ut ad veritatem cognoscendam perveniat inquirendo, et ab uno in aliud discurrendo. Unde anima humana, quantum ad id, quod in ipsa supremum est, aliquid attingit de eo, quod proprium est naturae angelicae; ut scilicet aliquorum cognitionem subito et sine inquisitione habeat; quamvis quantum ad hoc inveniatur angelo inferior, quod in his veritatem cognoscere non potest nisi a sensu accipiendo. Invenitur autem in natura angelica duplex cognitio: speculativa, qua ipsam rerum veritatem simpliciter et absolute intuetur et practica Unde et in natura humana, in quantum attingit angelicam oportet esse cognitionem veritatis sine inquisitione, et in speculativa, et in practica. Et hanc quidem cognitionem oportet esse principium totius cognitionis sequentis, sive speculativae, sive practicae: cum principia oporteat esse subtiliora et cer-

tiora. Unde et hanc cognitionem oportet homini naturaliter inesse, cum hoc quidem cognoscat, quasi quoddam seminarium totius cognitionis sequentis, sicut et in omnibus naturis sequentium operationum et effectuum quaedam naturalia semina praexistunt: oportet etiam hanc cognitionem habitalem esse, ut in promptu existat ea uti, cum fuerit necesse. " (Qq. *Disp. Verit.* q. 16. a. 1.)

400. **Probatio II. partis.** — Ratio paucis haec est. Sistendo in solis rationalibus principii, non respicitur nisi pura rei quidditas cum suis proprietatibus essentialibus. Ex hoc autem, quin aliud addatur, non potest fieri transitus ad ordinem actuale. Nam in solo Deo esse pertinet ad eius essentiam; essentia autem Dei non est proprium humani intellectus obiectum, ut ex Metaphysica suppono. Secus erit, ubi testimonium accedat sensuum vel conscientiae [271].

Obiicies. Optime fieri potest, ut in quidditate, etiam abstracta, alicuius rei involuta habeatur existentia, ut in notione *entis necessarii, infiniti*, et similium.

Ut huic difficultati fiat satis, et res ipsa plenius declaratur, diligenter notare oportet ipsam rei *existentiam actualem* duplici ratione considerari posse. Primo quidem conceptu stricte *intuitivo*, seu *faciali*, qui tunc viget cum physica alicuius rei actualitas per semetipsam movet immediate ad sui cognitionem, atque sic terminat actum cognitionis. Exemplo sit cognitio propria conscientiae, qua conspicimus nos esse et operari [268]. Potest insuper alicuius obiecti existentia actualis sic cognosci, ut ipsum non sit quidem intuitioni nostrae immediate et physice praesens, intelligamus tamen de ratione ipsius esse, ut actu existat in natura rerum. Haec altera cognitio tametsi accedat ad cognitionem rei intuitivam, ac propterea sic etiam quandoque nominetur, ab ea differt, cum et ipsa sit abstractiva, severe et in rigore loquendo. Hac porro distinctione praemissa, dicendum est, semper ac existentia actualis hoc secundo modo menti obversatur, nisi aliunde sciamus, re ipsa dari in natura rerum subiectum, de cuius ratione est ut existat, nos non ha-

bere ius *affirmandi* supradictam existentiam ut actu exercitam extra mentem. In huiusmodi nempè concludendi modo manifeste inveniretur aliquid amplius in consequenti quam in antecedenti, contra praescriptum 2^{ae} legis syllogisticae. Fieret quippe transitus a definitione nominis ad definitionem rei. Sic, fingesis quasso, me ita arguere: *In conceptu entis necessarij habetur involutus conceptus rei, quae actu existat; ergo ens necessarium actu existit extra mentem.* Ut patet, in huius enthymematis conclusione praedicatum latius patet quam in antecedenti. In hoc enim copula verbalis exprimit potestatem nominis, seu rationem intellectam nomine *entis necessarij* significatam; contra in conclusione exhibet actum essendi actu exercitum in natura rerum, et ut talem a mente affirmatum. Qua de causa S. Thomas tamquam illegitimum habet sequentem rationationem. * Intellecto, quid significet hoc nomen *Deus* statim habetur, quod *Deus* est. Significatur enim id, quo maius excogitari non potest: maius autem est, quod est in re et intellectu, quam quod est in intellectu tantum. Unde cum intellectu hoc nomine *Deus*, statim sit in intellectu, sequitur etiam, quod sit in re. Ratio quam S. Doctor affert ad reprobandum praedictum rationandi modum est praecise, quam nos attulimus. * Dato, quod quilibet intelligat hoc nomine *Deus* significari hoc quod dicitur, scilicet illud quo maius cogitari non potest: non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat illud, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui, quod sit in re, nisi daretur quod sit in re aliquid, quo maius cogitari non potest; quod non est datum a ponentibus Deum non esse. (*Summa th.* 1. p. q. 2. a. 1. ad 2.)

Instabis. Ergo inutilis est cognitio, qua intelligimus de ratione talis entis esse ut actu existat; immo, habenda esset tamquam apprehensio sine objecto.

Respondeo, *negando utramque illationem.* Ac primo quidem talis cognitio est utilissima. Cum enim ex effectibus nobis innotuerit, dari reipsa in natura rerum ens

aliquid, cui convenit notio entis necessarii, infiniti, etc., tunc verissime de eo affirmari debent ea omnia, quae invenimus per analysim contineri in supradictis conceptibus, quod sit videlicet ipsum esse per se subsistens, immutabile, aeternum, etc. Simili ratione nos per conscientiae testimonium noscimus nos habere, quod exhibetur nomine et conceptu *animae intellectivae*. Hinc vero legitime concludimus, nos habere animam simplicem, spirituales, immortalem, et quidquid rationatione pura nobis innotescit pertinere ad rationem animae intellectivae. Ad alteram vero illationem dico, talem conceptum habere obiectivitatem illam, quam solent et exigunt habere conceptiones mere apprehensivae [249]: habet praeterea etiam obiectum existens extra mentem, sed ita ut non deveniant in cognitionem istiusmodi relationis nostri conceptus ad tale obiectum, donec aliunde comperiamus, in natura rerum dari aliquid subiectum, in quo concreta sit supradicta notio, puta entis necessarii, infiniti, etc.

Instabis iterum. Saltem in hypothesi, licet absurda, in qua non existeret ens necessarium, talis conceptus nullam haberet obiectivitatem.

Respondeo, *neg. suppositum*, facta videlicet huiusmodi hypothesi, fore nunquam vel possibili conceptus quoslibet. Ablato enim ente necessario, iam eo ipso supponi debent ablata entia etiam contingentia, ac propterea existentiam etiam et possibilitatem omnium conceptuum nostrorum. Hoc vero probat, nos vel unius nostrae cogitationis facto, quod certum nobis est ex conscientiae testificatione, posse legitime devenire in cognitionem existentiae Dei. Atqui processus huiusmodi rationationem continet, non puram, sed mixtam; innititur nempe non in solis principis rationalibus, sed etiam in testimonio conscientiae, quod certe minime inficiamus, sed libentissime concedimus.

SECTIO IV.

De generali partitione scientiarum.

401. *Materia et ratio tractationis.* — Huc usque naturam scientiae rimati sumus, prout eo nomine conclusio quaevis usurpatur, quae demonstratione acquiritur. Patet autem, scientiam hoc modo acceptam, infinita plane notionum multitudine constare. Totidem quippe in hoc sensu habentur scientiarum species, quot sunt media diversa demonstrationum, quarum ope acquiritur [378]. Quoniam vero multitudo sine ordine confusionem gignit, hinc sapientes conati fuere notiones praedictas tanquam *partiales* scientias ad aliquam unitatem reducere, vi cuius diversae notionum seu scientiae quaedam *totales* constituerentur. Apposite Sylvester Maurus. * Hoc ipso, quod secundum divisionem naturalem habitus et scientiae sint innumerabiles, ac producantur sine ullo ordine, prout obiecta casualiter occurrunt intellectui; sequitur necessarium esse aliquam divisionem artificialem, qua redigantur in ordinem. Multitudo enim inordinata causat confusionem, et quo maior est multitudo, eo maiore confusionem causat. Sed actus scientiae et habitus species diversi sunt innumerabiles, et producentur inordinate prout obiecta occurrunt. Ergo, nisi ordinarerentur, causarent maximam confusionem. Sed, ut Aristoteles docet 1. *Metaph.* c. 2, et ex eo S. Thomas in Prooem. 1. *Ethic.* et 1. *Metaph.*, munus sapientis est omnia ordinare ad confusionem tollendam. Ergo necesse est, ut sapiens etiam innumerabilem multitudinem obiectorum, actuum, et habituum in certum ordinem distribuatur per divisionem aliquam artificialem, praesertim cum absurdum sit, si sapiens, qui ponit ordinem in ceteris, in suis actibus inordinate procedat. Sed ordo, ut Aristoteles docet, est *habitus mul-*

titudinis ad unum, ex. gr. ordo, per quem multitudo militum ordinatur in unum exercitum est, per quem singuli decem subduntur uni decurioni, singuli centum uni centurioni, singuli mille uni tribuno, et omnes uni imperatori. Ergo ut ponatur ordo in obiectis, actibus, et habitibus, multitudo plurimum obiectorum debet reduci ad unum obiectum. Divisio ergo artificialis, quam dicimus esse necessariam, est distributio obiectorum contemplabilium in aliquas classes cum reductione plurium ad unum, ad quod cetera certo modo se habeant, alia propinquius, alia remotius. (*Quaest. Philos.* lib. 1. q. 4.)

402. *Praenotanda ad resolutionem questionis.* — Haec porro divisio, utpote artificialis, non uno modo confici potest. Quocirca, ut ea, quam mox afferemus, probatu digna censeatur, non requiritur, ut eiusmodi sit, quae non possit aliter fieri. Eam tamen seligemus, quae et veterum sapientum suffragio comprobatur, et maxime conformis videtur naturae obiectorum scibilibus ac intellectus contemplantis. In antecessum vero expedit duo praenotare.

Primo itaque advertit duo esse genera cognitionum intellectualium; aliae nempe *speculativae*, aliae *practicae* nuncupantur. Sumitur haec distinctio ex parte finis, quo per se tendit notitia veritatis quam intellectus accipit. Unde enatum est prologium communiter receptum: *Intellectus speculativus non nisi fine differt a practico*. Et sane, vel notitia a mente concepta talis est, ut in mera contemplatione alicuius veri conquiescat, ut ex. gr. *Deus est omnipotens*: vel pro fine habet operationem quam respicit et ad quam inelinat, quemadmodum: *Non est faciendum aliis, quod nobis fieri volumus*. Prior *speculativa*, altera *practica* dicitur. In illa comparatur intellectus ad veritatem, quam contemplatur, sicut mensuratum ad mensuram: in hac vero e converso tanquam mensura ad mensuratum. In illa finis intrinsecus notionis intellectualis sistit in ipso intellectu, h. e. in ipsa perfectione, quae intellectui advenit per hoc quod verum scrutetur et contempletur: in altera progreditur ad operationem quam

idealiter praeformat et dirigit (1). Hinc alterum effatum: *Intellectus speculativus extensioe fit practicus*. Sic ex consideratione divinarum perfectionum procedimus ad considerandum Deum ut exemplar cui, quoad possumus, assimilemur: et ut summum Dominum ac Legislatorem, cui omnino sit obtemperandum.

Est praeterea animadvertendum propriam perfectionem cognitionis intellectivae supra sensitivam, ut ex Metaphysica suppono, sitam esse in quadam elevatione supra materiam seu abstractione a conditionibus materialibus. Prout autem observat S. Thomas, "duplex est materia, a qua fit abstractio; scilicet materia intelligibilis et sensibilis, ut patet in 7. *Metaph.* tex. 39.; et dico intelligibilem, ut quae consideratur in natura continui; sensibilem autem, sicut materia naturalis. Utraque autem dupliciter accipitur, scilicet ut signata, et ut non signata: et dicitur signata, secundum quod consideratur cum determinatione dimensionum, harum scilicet vel il-

(1) Apposite in hanc rem J. B. De Benedictis. "Aliter comparatur obiectum speculativae ad speculativam, aliter obiectum practicae ad practicum cognitionem. Speculativa respicit obiectum summum, ut mensuram, cui se conformando vera dicitur. Mensuratam autem finis est mensurae, non e contrario: est enim mensura propter mensuratum, non mensuratum propter mensuram. Quare cognitio, in quantum verae, obiectum non finis est, sed medium: quod voluit Philosophus dum ait, verum et falsum esse in anima, non in re, ut alibi explicabitur. At cognitio practica ipsa est mensura obiecti sui, si sumatur, non ut vera, sed ut practica. Opus enim, quod est obiectum practici intellectus, est rectum, quia conformatur notitiae dirigenti, ac tenenti se in priori ad ipsum; in quo stat causalitas ideae: sed notitia non est recta, quia operi conformatur. Hinc fit, ut speculativa, cum directiva non sit, sed solum vera, obiectum summum non respiciat sub ratione finis; practica vero, qua talis, obiectum, quod est opus, ut finem habeat; cum in prima sit ordo obiecti ad cognitionem, in secunda cognitionis ad obiectum. Quare in prima cognitio, seu potius intellectus, se habet ut subiectum, adeoque ut finis cui, veritas autem, ut forma et ut finis qui, obiectum ut medium: in secunda obiectum se habet ut subiectum et finis cui, rectitudo ut forma et finis qui, cognitio ut medium." (*Philos. Peri-pat.* vol. 1. q. proem. c. 4. §. 1.)

larum; non signata autem, quae sine determinatione dimensionum consideratur. (Oq. Disp. *Verit.* q. 2. a. 6. ad 1.) Hinc triplex existit gradus abstractionis seu elevationis supra materiam, ac materiales condiciones. Primus et infimus habetur, cum consideratur substantia materialis seu corporalis; abstractione quidem facta a conditionibus individualibus; sed eam considerando secundum quod subiacet sensibilibus propriis. Secundus et elevatior gradus abstractionis cernitur, cum substantia materialis consideratur, non solum in generali, sed etiam praecisione facta a propriis sensibilibus, eam dumtaxat considerando prout subiacet quantitati. Ultimus denique et supremus gradus abstractionis habetur, quando considerantur ea, quae possunt esse absque omni materia, sicut ens, unum, potentia, actus, et alia huiusmodi, quae nullam exigunt materiam, ut patet in substantiis immaterialibus. Confer S. Thomam (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 1. ad 2.). Hic vere observa, in unoquoque ex his gradibus abstractionis specialem elucere difficultatem respectu humanae mentis. Prior enim gradus abstractionis (a materia individuali) postulat modum contemplandi, quo per sensum accurate res observemus; et ex multorum experimento et inductione principia colligantur: secundus gradus abstractionis (a materia sensibili) exigit specialem perfectionem in imaginatione, ut deprehendat innumeras species figurarum, linearum, angulorum, numerorum, quas intuentes ut praesentes de his discurramus. Ultimus denique et supremus gradus postulat intellectum, qui plane se erehat supra omnia sensibilia et imaginabilia; ac propterea in huiusmodi contemplatione proprio suo lumine mens utitur per se primario, non vero lumine sensuum vel imaginationis. Qua de causa haud raro contingit, ut qui sunt aptissimi in uno gradu abstractionis, deficiant multum in aliis.

THESIS XXXII.

Inspecta generali distributione disciplinarum humanarum, quinque totales scientiae primariae iure merito recensentur: nimirum Physica, Mathematica, Metaphysica, Logica, et Moralis; quibus reliquae omnes scientiae recte subordinantur.

403. **Probatio I. partis.** — Praecipua enim cura sapientis circa ordinem versatur; siquidem, ut a Philosopho (1. *Metaph.* c. 2.) ostenditur, ad sapientem maxime pertinet ordinare. Iam age, ordo dupliciter ad rationem pertinet. Est enim ordo, quem ratio non efficit, sed inspicit tantum atque expendit, ut fit in scientiis speculative. Est praeterea ordo, quem ratio considerando facit, consideratione nimirum practica. Posterior iste ordo, pro duplici suprema hominis facultate cui imponitur, duplex necessario distingui debet. Alius enim est, quem ratio sibiinet ipsa exhibet, cum notiones suas et effata inter se ordinatim disponit; et hoc praestat Logica. Alius vero est, quem ratio voluntati praescribit, ut illa probe insituta rectum atque honestum prosequatur: et id efficit Moralis. Quod si spectetur ordo, quem ratio speculatur, quin efficiat, primaria divisio scientiarum, quae inde emergit, per se iure optimo accipitur ex differentia perfectionis; qua intellectualis veritas et contemplatio supra notitiam sensibilem elevatur; siquidem scientiae speculative propriae munus est ipsamet intellectus perfectio in contemplatione veri; ut supra notavimus. Atqui perfectio haec est immaterialitas seu abstractio a materialibus conditionibus. Haec vero in triplici gradu constituitur; quare tres aliae emergunt scientiae. Hae sunt Physica, quae abstrahit a materia individuali tantum; Mathematica, quae praeterea abstrahit a materia sensibili; Metaphysica denique supra

omnem materiam evehitur, non modo individuaem, sed sensibilem quoque et intelligibilem.

Paulo aliter allata distributio sic etiam comprobari potest. Etenim, cum ars naturam imitetur et aemuletur, ut generalis partitio humanarum disciplinarum, quam arte exquirimus, optima censeatur, referre debet, quoad fieri potest, divisionem, qua natura secrevit facultates cognoscitivas, quibus instrumitur ad veritatis assequutionem. Natura autem diversis cognoscendi facultatibus nos instruit pro diversitate obiectorum, ita tamen ut minime novam indiderit facultatem ad eius obiecti cognitionem, pro qua sufficit altera. Natura enim dives est, sed non prodiga. Ergo ut recta sit divisio disciplinarum, quam quaerimus, hae primo quidem distingui debent in propriis obiectis, quibus attingendis navant operam; deinde talis sit oportet, ut pro diversitate horum obiectorum diversa praebetur cognoscendi difficultas. Porro utrumque perspicue elucet in tradita distributione. Primum, siquidem effecta est per membra se invicem excludentia, ut consideranti patet. Alterum vero facile ducitur ex iis, quae praemisimus, Logica enim specialem difficultatem continet, cum sit de *secundo intellectus* [5]. Moralis novam difficultatem superaddit, quae videlicet nascitur ex tumultu passionum iudicia mentis in re morum obnubilantium. Ceterae denique scientiae recensitae, nimirum Metaphysica, Mathesis et Physica, specialem et ipsae difficultatem creant, eamque triplicem, quam experimur omnes, cum cognitionem supra materiam evehinus, ut iam exposuimus.

404. **Probatio II. partis.** — Ratio est, quia ceterae omnes naturales disciplinae vel sunt speculative, vel practicae. Si speculative fuerint, necesse est pro triplici gradu elevationis supra materiam, quo fruntur, principia nitantur, quae vel colligantur experientia sensibili, vel consideratione mentali figurarum et numerorum, vel notionibus universalibus ab omni materia praecisis. Haec porro principia vel ad Physicam, vel ad Mathesim, vel ad Metaphysicam proprio iure spectant. Ergo disciplinae huiusmodi non nisi ex aliqua trium enumeratarum scientiarum

sua principia derivant, ac propterea sub ea iure ordinantur. Quod si practicae fuerint, iure subordinantur illis scientiis, quae dirigunt supremas facultates hominis, unde ceterae omnes facultates et operationes humanae dependent. Atqui supremas facultates hominis sunt ratio, quam Logica dirigit, et voluntas, quam dirigit Moralis. Ergo sub hac duplici scientia ceterae omnes practicae disciplinae ordinantur necesse est.

405. *Coroll. I.* — **Philosophiae nomen ac ratio.** Ex dictis intelligitur primo, praedictas quinque scientias iure merito *Philosophiae* nomine coonestari. Philosophia enim, iuxta vim vocis, nihil aliud est, nisi *studium sapientiae*. Sapientiae autem ratio posita est in investigatione et comprehensione causarum altissimarum, unde cetera omnia dependent [381]. Cum itaque enumeratae quinque disciplinae speculentur rationes supremas rerum, quae naturali lumine innotescunt, iure merito constituere dicendae sunt humani intellectus sapientiam naturalem. Quocirca Philosophia, generaliter ac universe accepta, rite definitur: *Scientia rerum per causas supremas naturali lumine comparata.*

406. *Coroll. II.* — **Obiecti unitas in quinque enumeratis disciplinis: subiectum attributionis et subiectum attributum.** — Colligitur secundo, obiecta circa quae versantur singulae enumeratae disciplinae, habere quidem unitatem, ratione cuius per modum unius obiecti considerari possint, sed hanc unitatem non esse nisi *ordinis*, qualis ex. gr. est in exercitu [401]. Quannobrem in unaquaque earum distingui consuevit subiectum *attributionis*, et subiectum *attributum*. Nonnisi subiecti *attributionis* intelligitur obiectum, genere saltem unum, quod primo et per se respiciatur ab aliqua scientia; contra, subiectum *attributum* vocatur, quod ab eadem quidem scientia attingitur, sed secundario, nimirum propter aliquem respectum, quo ad obiectum attributionis refertur. * Est igitur, concludit Sylvester Maurus, obiectum attributionis in scientia sicut Imperator in exercitu; nam sicut Imperator est unus, et primus, ad quem ceteri ordinate redeuntur, et est principium totius ordinis, qui est in exercitu: sic obiectum

attributionis est unum, et primum in scientia, ad quod cetera ordinate redeuntur, et est principium totius ordinis, qui est in scientia. * (*Qq. Philos.* lib. 1. q. 6.) Distingenter vero observa, minime esse confundendam hanc distinctionem cum ea, quam initio Logicae indicavimus [3], quasi nimirum obiectum attributionis idem sit ac obiectum *formale*, obiectum vero attributum sit obiectum *materiale*. In obiecto enim attributionis, et per respectum ad ipsum etiam in obiecto attributo, utraque ratio invenitur, formalis scilicet et materialis. Formalis ratio est ea, quae primo connaturaliter movet ad considerationem subiecti attributionis: materialis vero est ipsa res, prout est in se, quae subiectum attributionis nuncupatur. Atque ut exemplo haec perspicias, si quaeratur, quodnam sit id, ad quod penitus cognoscendum ordinatur consideratio, quae propria Logicae est, recte respondebis, id esse ipsum *sciendi modum*, prout divisionem, definitionem, et argumentationem, demonstrativam praesertim, complectitur. Huc enim totus Logicae labor refertur. Modus itaque sciendi recte constituitur tanquam Logicae subiectum attributionis: cetera vero, ut termini, propositiones etc. erunt obiecta attributa. Similiter dici potest cum S. Thoma, Deum esse in Metaphysica attributionis subiectum. * Ipsa, inquit, prima Philosophia (h. e. Metaphysica) tota ordinatur ad Dei cognitionem, sicut ad ultimum finem: unde et scientia divina nominatur. * (3. *Cont. Gent.* c. 25.)

407. *Coroll. III.* — **Obiectum proprium Metaphysicae, prout a Physica seceratur.** — Intelligitur denique, Metaphysicae obiectum proprium quibus limitibus ab obiecto proprio Physicae seceratur. Obiectum enim, prout materiam omnem transcendit, subiectum Metaphysicae abstractionis et contemplationis constituitur (1).

(1) Metaphysicae nomen, si vim vocis spectes, idem sonat ac *ultra* sive *post physica*. Inde parvo ortum habuit, quod ii qui reperta Stagiritae opera digesserunt atque ordinarunt, postquam in summam collulissent ea omnia scripta, quae Philosophus confecit, quaeque